

potestate Episcopi, nisi ubi fuerit in jure expressa.

18. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: probabilius videtur, quoties intervenit excusatio a culpa mortali, licet venialis committatur, non incurri irregularitatem, quæ propter actum, qui de se mortale peccatum est, imponitur. Probatur primo, quia ad rem moralem parum refert, quod culpa sit mortalis in sua specie, sed in individuo; nam pœna pro actu in individuo fertur, et cum eo debet servare æquitatem, ut servetur justitia. Secundo, quia actus, qui ex genere suo est mortale peccatum, non est in individuo veniale nisi vel ex levitate materiæ, vel quia non est simpliciter humanus, sed secundum quid. Si ergo in præsentis sit veniale ex primo capite, non potest esse sufficiens ad irregularitatem, quia neque in tali materia est sufficiens proportio, neque fieri potest, ut verba legis seu conditio ex vi illorum requisita ad irregularitatem, in sola illa materia perfecte compleatur; semper enim talis lex aliquam gravem materiam postulat, ut est homicidium, mutilatio, administratio indebita sacramenti, vel aliquid hujusmodi. Si vero peccatum sit veniale ex altero capite, ille non est actus perfecte humanus; ergo eadem ratione non sufficit, ut per illum censeatur impleta conditio in tali lege requisita ad irregularitatem, quia, ut sæpe ostensum est, leges penales simpliciter latae puniunt actus completos in sua ratione, non physica tantum, sed morali; nam magis illos puniunt, ut morales sunt, quam propter solum physicum effectum; ergo, licet talis actus aliquo modo voluntarius sit, tamen, quia est valde imperfectum voluntarium, et fere non humanum, ad irregularitatem non sufficit. Quod confirmatur ex Navarro, in dict. cap. fin., quia alias quicumque diceret, faceret, consuleret, aut mandaret aliquid, quo facto mors contingeret, vix posset vitare irregularitatem, etiamsi magna circumspectione id faceret, et a fortiori vix posset aliquis aliquem occidere in suæ vitæ defensionem, et non manere irregularis, quia in hujusmodi rebus non est humanum aut non excedere, aut non deficere aliquantulum in diligentia adhibenda. Solent tamen contra hoc objici quædam capita de Homicidio, ubi propter mortem secutam sine peccato mortali irregularitas incurri dicitur. Verumtamen, si illi textus aliquid probant, etiam sine veniali culpa dictam irregularitatem incurri asserunt; quod si fortasse ita est, dicemus illam

irregularitatem non esse pœnalem, sed significativam aut mysticam, ut sic dicam. Illi vero textus inferius sunt exacte et in particulari tractandi. Objici etiam solet cap. 4 de Ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop. Sed hic textus late tractatus est supra, disput. 38 de Suspens., sect. 1.

An quodlibet peccatum mortale sufficiat ad hanc irregularitatem.

19. *Duplex questionis sensus.* — *Deciditur in priori sensu.* — *Prima sententia circa secundum sensum.* — Quintum dubium est, an quodlibet peccatum mortale sit sufficiens ad irregularitatem. Quod in duplici sensu inquiri potest, primo in ordine ad legem ferendam, secundo in ordine ad pœnam legis jam late contrahendam. Priori modo manifestum est, non omnia peccata mortalia esse moraliter sufficientia, ut irregularitates propter illa imponantur, alias oporteret clericos esse impeccabiles, vel in gratia confirmatos. Quamvis ergo peccatum mortale ex se dignum sit multo majori pœna, tamen hæc non esset proportionata, nec prudenter fertur, nisi pro criminibus speciali modo repugnantibus clericatui seu decentiæ illius. Quæ autem hæc sint, solum dicimus, de possibili relinquendum esse prudentiæ legislatoris, de facto vero consulenda esse jura. In altero ergo sensu procedit dubitatio, in qua quidam existimant non sufficere externum peccatum mortale, nisi intercedat etiam contemptus et dolus, quæ sunt speciales conditiones interiores, præter voluntatem peccaminosam exercendi talem actum. Ita sentit Navarr., in cap. Accepta, de Restit. spoliat., ad oppositionem 8, num. 34, et cap. 27, num. 252, referens Panormitanum, in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., num. 115, et Dominicum, in cap. Solet, de Sent. excom., in 6, dicentes, irregularitatem esse pœnam contemptus. Et simili modo loquitur Felinus, in c. Rodolphus, de Rescript., num. 43. Dominicus etiam in cap. Is cui, de Sentent. excommun., in 6, § 1, num. 4, irregularitatem ait non contrahi sine dolo.

20. *Vera sententia.* — *Auctores contrariæ sententiæ exponuntur.* — Nihilominus dicendum est, eam voluntatem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, sufficere etiam ad contrahendam irregularitatem, si alioqui in exteriori actu est sufficiens integritas, et moralia requisita ex vi verborum legis. Assertio

est certa. Probatur primo ex juribus, quæ docent ad irregularitatem contrahendam sufficere ignorantiam crassam vel supinam, ut in cap. 4 de Ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop., et sæpe alias. Inde enim habetur voluntarium indirectum satis esse ad irregularitatem contrahendam, licet non sit ex contemptu, sed ex negligentia. Secundo ex natura rei hoc sufficit ad incurrendam pœnam, et nihil est in irregularitate, propter quod amplius postuletur, neque per leges Ecclesiasticas postulatur; ergo necessarium non est; neque auctores citati locuti sunt in sensu contrario, sed late minusque proprie voluntatem omnem peccandi mortaliter vocarunt contemptum, et dolum, vel formalem, vel interpretativum, seu virtuale. Quod satis explicuit Felinus; cum enim dixisset excusari quemdam ab irregularitate, quia non contempserat, subdit, *excusare itaque ex probabili ignorantia.* Et Abbas, in cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss., num. 2, latam culpam sufficere ad pœnam juris canonici ait, etsi ad pœnam juris civilis non sufficiat, quia ibi requiritur dolus: *Quantum vero ad irregularitatem, ait, lata culpa æquiparatur dolo, quod tene menti, nam studiosa negligentia dolo comparatur, et inducit irregularitatem, quia videtur affectare delictum ex tanta negligentia.*

21. *An per peccatum externum omnino occultum contrahatur.* — *Prima opinio.* — *Vera sententia.* — *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.* — Alii vero ex parte actus exterioris requirunt specialem conditionem, ut per peccatum mortale irregularitas incurratur, nimirum ut peccatum non sit omnino occultum per accidens, sed aliquo modo probabile. Ita sentit Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. ultim., conclus. 3. Fundatur, quia jura, quæ de hac materia loquuntur, possunt commode ita intelligi, et pœna adeo gravis temperanda est quantum fieri possit, alioqui cogeretur sæpe clericus peccator occultus se infamare abstinendo ab usu Ordinum. Unde in cap. Ex tenore, de Temp. ordin., dicitur in simili casu posse post penitentiam peractam clericum ministrare. Nec desunt moderni auctores, quibus hæc opinio probabilis videatur. Similem vero questionem tractavi supra, disput. 3, sect. 1, num. 67, ubi censui illam opinionem non esse probabilem; idemque nunc censeo in irregularitate, cum communi sententia Glossarum et Doctorum, quam ipsemet Castro refert in cap. ultim. de Temp. ordin., et in cap. Inquisitionis, de Accusatio-

nibus. Quam etiam refert et sequitur Covarr., in Clementin. *Si furiosus*, 2 part., § 3, n. 4, et eandem supponit Navarrus, c. 27, n. 239 et 254, sumiturque ex eisdem juribus; nam imponunt irregularitatem, ut pœnam incurrendam ipso facto, et inferendam per ipsammet legem ad modum censure, et ideo quoad hoc æquiparatur censuris. In hujusmodi autem pœnis, si supponatur actus externus, qui dicitur per se probabilis, ut vindicationi legis humanæ possit esse subjectus, impertinens est quod de facto possit vel non possit probari, cum hæc pœna non pendeat ex actuali probatione, neque ex infamia. Unde jura absolute loquuntur nihil distinguentes inter occultum et publicum, quantum ad irregularitatem, licet interdum distinguant quoad dispensationem, ut Tridentinum, sess. 24, c. 6 de Reformat., in quo potius supponunt per occulta delicta incurri irregularitates. Quod clare etiam significatur in cap. Nisi cum pridem, vers. *Personæ*, de Renunc., ibi: *Si tamen et culpa latet, et causa.* Neque etiam distinguunt hæc jura inter occultum probabile, et omnino; nec ergo nobis distinguere licet, argumento cap. Solitæ, verb. *Nobis*, de Majoritat. et obedient., et l. Imperator, ff. de Postulando, præsertim cum illa distinctio nulla ratione nitatur, ut declaratum est. Per quæ responsum sufficienter est ad motiva contraria; nam leges canonice vera non possunt legitime ita exponi, quia illa non esset interpretatio, sed voluntaria additio, quam possemus etiam addere in censuris et in omnibus pœnis privativis, quæ per legem imponi solent ipso facto, quod nullo modo admittendum est sine majori fundamento. Incommodum autem illud de infamatione propria accidentarium est, et ex occulta etiam excommunicatione sequi potest. Tunc igitur excusabitur quis ab executione (ut sic dicam) talis pœnæ, non tamen ab ipsa pœna, ut supra in censuris declaratum est, quibus æquiparatur irregularitas, ut recte indicavit Navarr., supra. Caput autem Ex tenore, non loquitur de crimine, cui est annexa irregularitas, sed quod dignum depositione, si probetur; de qua est longe diversa ratio, quia illa non est pœna lata ipso jure, sed inferenda.

Tertia divisio plures sub se continens.

22. Sexto dubitari potest, quotuplex sit hæc irregularitas, quæ per proprium actum contrahitur, quod est quærere, per quos

actus incuratur hoc impedimentum. Hoc autem in specie tractandum est fuse in sequentibus; nunc satis sit ad consummandam hanc divisionem in genere dicere, hanc irregularitatem aliquando incurri per actum licitum, aliquando per illicitum. Prior autem in duas præcipuas species dividi solet: una vulgo appellatur ex defectu sacramenti, ut est bigamia, quæ contrahitur per usum cujusdam sacramenti cum aliquo defectu in ejus significatione perfecta. Alia vocatur ex defectu lenitatis, quæ oritur ex usu muneris liciti, quod interdum facit hominis occisionem; quod si sub actu morali comprehendamus etiam omissionem vel carentiam actus, ut in rebus moralibus fieri solet, potest hic addi tertia species, quam aliqui vocant ex defectu animi, qualis est ignorantia, quæ licet quodammodo sit a natura, permanet tamen ex quadam omissione vel negligentia hominis, quæ licet fuerit sine culpa, inducit tamen quoddam impedimentum ad Ordines sacros; an vero hæc dicenda sit propria irregularitas, postea dicemus. Aliud autem generale membrum irregularitatis ex actu illicito seu delicto plures habet species; tres tamen videntur præcipuæ: una est ex homicidio; alia est ex administratione Ordinis contra Ecclesiasticam censuram; tertia esse potest iteratio baptismi, vel (ut alii volunt) iteratio sacramenti imprimis characterem. Quibus addere possumus, si quæ fortasse irregularitas contrahitur ex delicto non tantum vero, sed etiam imposito, si revera infamiam generavit. Atque hæc sunt divisiones irregularitatum, quæ ex auctoribus colliguntur, quamvis unusquisque suo modo illas proponat et ad plura vel pauciora membra reducat. Quædam vero alia divisio ex parte effectus ab eis omittitur, quæ mihi necessaria videtur, quia utilem doctrinam continet.

Ultima divisio.

23. *Irregularitas totalis.* — *Irregularitas partialis.* — Ultimo ergo dividi potest irregularitas in totalem et partialem; totalis est illa, de qua hactenus præcipue diximus, et sic appellatur, quia ex se privat toto Ordine clericali; hujusmodi est, v. gr., irregularitas homicidii, bigamiæ, etc. Imo per se loquendo hæc videtur esse primaria institutio irregularitatis. Partialis vero irregularitas dicitur, quæ privat aliquo modo Ordinibus, non tamen in totum. Quod variis modis contingit.

Primo prohibendo aliquem Ordinem, non vero omnes. Hujusmodi videtur esse ætas, v. gr., viginti annorum; nam qui in illa tantum constitutus est, adhuc est irregularis ad Ordines sacros, non vero ad minores. Potest etiam hæc irregularitas partialis dici ex parte temporis, quia non simpliciter, sed pro tali ætate fertur, et ideo aliqui recusant impedimentum hoc irregularitatem vocare, quia non est perpetua, sed est conditio tantum requisita ex lege humana ad talem actum, sicut etiam ad professionem et matrimonium postulatur certa ætas; sed hæc est solum quæstio de nomine, de qua re infra dicemus. Potest secundo irregularitas esse partialis ex parte effectus, quia interdum privat ascensu ad superiores Ordines, non vero executione inferioris Ordinis jam suscepti. Exemplum est in cap. 2 de Clerico non ordin. ministr., ubi diaconus, quia absque sacerdotali Ordine sacrificare ausus est, ascendere prohibetur ad sacerdotium, et tamen quoad executionem Ordinis diaconatus non fit irregularis. Sic etiam in cap. De his, 3, 50 d., statuitur, ut clerici, qui ab humano sanguine effundendo non abstinent, duobus annis suspendantur, et aliis pœnis afficiantur, non vero ulterius provehantur. Idem sumitur ex cap. ultim., 55 dist., ubi diaconus, cui erutus fuit oculus, inhabilis dicitur ad sacerdotium, non vero ad sui Ordinis executionem.

24. *Alia irregularitatis divisio.* — *Primus modus irregularitatis partialis.* — Atque ex his juribus fortasse ortum habuit alia irregularitatis divisio, quam indicavit Navarrus, cap. 27, num. 191, cum Cardinali in Clement. unic. de Homicidio, scilicet, quædam esse irregularitatem, quæ suscipiendis Ordinibus, aliam, quæ a susceptis suspendit, propter quas irregularitates putant dictum esse in illa Clementin. : *Nullam irregularitatem incurrit*; nam, ut ibi Gloss. significavit, illa distributio posita est ad explicandum, illum non manere impeditum ad suscipiendum novum Ordinem, neque ad ministrandum in suscepto. Verumtamen advertendum est, omnem irregularitatem, quantum est ex se, et proportionem servata, privare Ordine et usu ejus; contingit autem esse aliquam irregularitatem, quæ non privat omni Ordine, sed aliquo tantum, saltem respectu clericorum, et tunc illa dicitur non privare usu Ordinis suscepti, quia non privat exercitio inferiorum Ordinum, quos susceptos supponit, quando illa contrahitur. Tamen si diaconus, v. gr., sic

irregularis ad sacerdotium, illud inique susciperet, ex vi ejusdem irregularitatis esset perpetuo inhabilis ad usum sacerdotii. Atque ita omnis irregularitas privans Ordine, privat etiam usu ejus, si cum tali irregularitate sumatur, quamvis non necessario privet usu Ordinis suscepti ante talem irregularitatem.

25. *Alius modus ejusdem irregularitatis.* — *Objectio solvitur.* — *Dubium.* — Tandem est alius modus partialis irregularitatis, quæ nec privat Ordine, nec omni usu ejus, sed aliquo tantum. Cujus etiam meminit Navarr., dict. num. 191, et Maiolus, lib. 4, c. 2, reg. 5, et sumitur ex c. 2 de Cler. ægrot., ubi sacerdos, cui duo digiti cum medietate palmæ abscissi fuerant, irregularis esse dicitur ad celebrandum, non vero ad alia officia sacerdotis, ut sunt audire confessiones, etc. Quia ille defectus ad reliqua non præbet impedimentum. Dices: ergo datur irregularitas, quæ non impedit aliquem Ordinem suscipere. Respondeo primum negando sequelam, nam fortasse talis sacerdos mansit inhabilis ad Ordinem Episcopalem suscipiendum, ut infra videbimus. Deinde jam supra responsum est hoc esse per accidens, nam ille defectus, quantum in se est, impediret sacerdotium suscipere, nisi invenisset susceptum. Imo fere omnis defectus, qui superveniens alicui Ordini suscepto impedit ascensum ad superiorem, impediret etiam Ordinem inferiorem, nisi susceptum inveniret, etsi sine culpa contrahatur. Quod sensit Navarr., num. 252, et ex discursu materiæ amplius constabit. Sed hinc oritur alia difficultas contra definitionem irregularitatis; nam sequitur, irregularitatem, quæ ex se sufficiens est ad impediendam susceptionem alicujus Ordinis, non impedire usum ejus, si susceptus sit. Respondetur negando sequelam, formaliter de irregularitate loquendo, sed solum sequitur defectum aliquem, qui induceret irregularitatem respectu Ordinis nondum suscepti, aliquando nullam irregularitatem inducere respectu ejusdem, si susceptum inveniat, quod non repugnat definitioni, neque est ullum inconveniens. Vel etiam sequitur (et in idem redit) eundem defectum in una persona inducere irregularitatem simpliciter, in alia vero secundum quid. Est enim attente considerandum, defectum ipsum, v. gr., oculi, aut digitorum, non esse ipsam irregularitatem, sed illud impedimentum canonicum, quod ratione talis defectus lex Ecclesiastica imponit; sed juxta varias condiciones perso-

narum potest esse diversa ratio moralis imponendi majus, vel minus impedimentum, ratione ejusdem defectus materialis; et ideo fieri potest, ut idem defectus majorem irregularitatem inferat in una persona, quam in alia; hoc autem in particularibus irregularitatibus fusius explicabitur.

SECTIO IV.

Utrum irregularitas solo Ecclesiastico jure imponatur.

4. *Regula generalis.* — *An aliqua irregularitas sit jure divino introducta.* — *Ratio dubitandi.* — *Prima opinio.* — Circa efficientem causam irregularitatis suppono jus Ecclesiasticum habere potestatem ad irregularitates imponendas, multasque esse a solo illo introductas. Primum constat ex dictis in sect. 4 de hac potestate, et in tertia de delictis occultis, et ex frequenti usu juris. Secundum etiam fit evidens per inductionem; irregularitas enim, v. gr., quam excommunicatus incurrit celebrando, quo alio jure introduci poterat nisi humano, cum ipsamet excommunicatio solo humano jure introducta sit? Constat ergo irregularitatem humano jure introductam esse. Dubium vero est, utrum nullo alio jure vel modo introducat, in quo quatuor principalia occurrunt. Primum est, an jure divino fuerit aliqua irregularitas introducta. Et ratio dubitandi sumitur, quia bigamia saltem videtur esse de jure divino, juxta illud 1 ad Timoth. 3: *Unius uxoris virum.* Item irregularitas homicidii, ex illo: *Non edificabis mihi templum, quia vir sanguinum es,* et 2 Reg. 7. Similiter irregularitas ex defectu seu macula sacerdotis videtur esse ex divino jure, juxta illud Lev. 20 et 21: *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Ratione confirmatur, quia jus divinum præcipit sancta sancte tractare; ergo idem jus aliquos repellere potest a sancto Ordinum ministerio, propter defectum, vel impuritatem aliquam, sicut fœminæ jure divino sunt ineptæ ad Ordines, propter indecentiam status sui ad divina ministeria. Propter hæc quidam admittunt irregularitates aliquas de jure divino. Quod insinuat Abb., in cap. Sicut dignum, de Homicidio, num. 12, et Socin., in cap. Ad audientiam, de Homic., num. 6, et nonnulli moderni abutentes nomine irregularitatis. Palud. etiam, d. 25, quæst. 3, num. 14 et 15, hanc sententiam insinuat, dum ait Petrum et

Paulum fuisse irregulares ex homicidio et mutilatione, Christum tamen cum eis dispensasse.

2. *Vera sententia.* — *Probatur quoad legem veterem.* — Dicendum vero est nullam propriam irregularitatem esse divino jure introductam. Hæc est certa et communis sententia Theologorum in 4, d. 25, et Canonistarum in cap. Ad audientiam, de Homicidio, ubi Felin., num. 2, plures refert, et in cap. Is qui, de Sent. excom., in 6; Covarr., dict. Clement., 4 part., in princ.; Navarr., c. 27, num. 491; Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 4; Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 1; Ledesm., 4 part. 4, quæst. 26, art. 2; Summist., verb. *Irregularitas*, Villadiego, Burgas., Plovii, et reliquorum; et Paludanus tandem addit, vel Christum dispensasse, vel prohibitionem Ecclesie tunc non fuisse; quod postea magis confirmat. Et probatur sufficienter ex dict. cap. Is qui, ubi dicitur, non incurri irregularitatem nisi in casibus a jure expressis; loquitur autem de jure canonico. Ratione vero patet, quia duplex est jus divinum, scilicet, positivum et naturale; rursus jus positivum duplex est, scilicet, contentum in lege veteri, aut in lege nova; nulla autem irregularitas nunc est, quæ ratione divini juris aliquo ex his modis considerati vim habeat. Primo enim jus legis veteris jam non obligat in lege nova, quatenus tale est, juxta doctrinam Pauli ad Galat. 3 et 4, quæ latius tractatur in materia de legibus. Dico autem, *quatenus tale est*, propter præcepta moralia, quæ durant, quia pertinent ad jus naturæ. Præcepta ergo positiva illius legis, qualia fuere judiciaria, et cæremonialia, jam nunc cessarunt, et ideo quamvis verum sit in illa lege fuisse aliquas cæremoniales prohibitiones et impedimenta ad sacerdotes pertinentia, quæ fuerunt veluti quædam irregularitates illi statui accommodatæ, ut constat ex Levitici 21 et 22, et sæpe alias, illa tamen non habent vim in lege nova. Sicut etiam in rebus Deo offerendis variæ conditiones postulatur tunc, ut ex eisdem locis constat, quæ ad præsentem statum nihil referunt.

3. Oportet tamen considerare in illis antiquis præceptis, aliquando rationem legis fuisse moralem, aliquando vero significativam vel præfigurativam alicujus rei futuræ; hoc posterius præcipue inveniebatur in cæremonialibus præceptis, et ideo illa non solum non obligant, verum etiam nec observari possunt, ut notavit D. Thom., 1. 2, quæst. 104,

art. 3, et 2. 2, quæst. 87, art. 1. Alia vero præcepta, quæ præcipue nitebantur in congruentia morali, licet ex se non obligent in lege nova, tamen Ecclesia aliquid simile imitatur suo statui et usui accommodatum ex eadem vel simili congruentia morali, ut in solutione decimarum, et similibus, et tunc illud, quod in Ecclesia observatur, non ex divino jure, sed ex Ecclesiastica institutione, aut ex morali aliqua congruentia servatur, ut in simili declaravit Pontifex in c. unico de Purificat. post partum, et eodem modo est intelligendum cap. In aliquibus, § ult., de Decimis. Sic ergo in proposito irregularitates illæ veteris legis generatim ob eam rationem imponebantur, quod ministeria ad Deum pertinentia omni munditia et puritate peragenda sunt, ut in eisdem locis dicitur; in particulari vero continebant rationes præfigurativas vel significativas futurorum. Nunc igitur Ecclesia omissis illis cæremoniis et figuris, illas tantum irregularitates, quæ ad decentiam divini cultus spectant, introduxit ex morali ratione divinæ legis veteris, non autem ex obligatione illius, ut in simili dixit Siricius P., in c. Plurimos, 82 d., et indicavit Gregor., 1. 4, epist. 24, et habetur in c. Necesse, 1, quæst. 1.

4. *Probatur quoad legem Evangelicam.* — De jure item Evangelico certum est nihil hujusmodi esse in illo præceptum, quia in lege gratiæ non solum cessarunt antiqua præcepta, sed etiam nulla nova ab ipso Christo immediate data sunt, præter ea, quæ ad fidem et sacramenta spectant, ut est commune dogma Theologorum; nam cætera, quæ ad debitam gubernationem, et convenientem sacrarum rerum administrationem pertinent, Apostolis commissa sunt, juxta verbum Christi, *Pasce oves meas*, et illud Pauli, 1 ad Corint. 11, *Cætera cum venero disponam*. De qua re egimus, de censuris in principio hujus libri, et de sacramentalibus ac cæremoniis in 3 tom. Quod vero spectat ad naturale jus, verum quidem est, supposita institutione divinorum Ordinum, et sanctitate talis ministerii aliqua esse posse impedimenta, quæ ex natura rei obligant hominem, ut eis durantibus, vel non ministret, vel Ordines non recipiat; ut est, v. gr., peccatum mortale in ordine ad celebrationem, vel receptionem sacramentorum, vel magna ignorantia, aut alia ineptitudo ad tale munus; tamen irregularitates Ecclesiasticæ vel hujusmodi non sunt, nam licet considerent indecentiam, non talem, neque tantam, quæ secluso positivo jure

cogeret hominem in conscientia ad separandum a susceptione vel administratione Ordinum, ut patet in bigamia, etc. Vel certe si aliquando tantam continent indecentiam, ut per se obligent, non sub ea ratione habent rationem irregularitatum, sed quatenus ex Ecclesiæ institutione habent aliquid speciale adjunctum quoad modum vel gradum prohibitionis. Ut, v. gr., cæcitas est impedimentum, quod natura sua obligare videtur clericum ad non celebrandum propter periculum; tamen si solam rei naturam spectemus, si inveniretur medium ad vitandum illud periculum, cessaret naturalis prohibitio; instituta autem per Ecclesiam tali irregularitate, nulla ratione licet cum tali impedimento celebrare sine Pontificis dispensatione. Et ad hunc modum contingit in reliquis, ut ex particulari tractatione earum evidentius constabit.

5. *Respondetur ad rationes dubitandi.* — *Locus Pauli, 1 ad Timot. 3, exponitur.* — *Aliqua irregularitas est a temporibus Apostolorum, de jure tamen positivo.* — Rationes dubitandi ex dictis solutæ sunt; nam verba Pauli, 1 ad Timoth. 3, ab aliquibus exponuntur de duabus uxoribus simul viventibus. Ita Cajetanus ibi, quia tunc temporis multi plures uxores habebant, imitantes Patres Veteris Testamenti, cum nullibi legamus hoc prohibitum. Quæ fuit expositio Chrysostomi ibi, Hom. 10; Theophylacti, et Theodoretii, qui expresse dicit, non voluisse prohibere Apostolum secundas nuptias etiam sacerdotibus. Alii respondent, verba illa non continere speciale præceptum, sed illam conditionem inter alias ibi numerasse, quæ ad decentiam, et bonos mores Episcopi pertinent. Sicut inferioris etiam dicit, Episcopum non debere esse neophytum; et tamen non propterea illam conditionem posuit, ut necessariam, ita ut specialem irregularitatem inducat. Dicunt ergo, Paulum hoc posuisse ut consilium, non ut præceptum inducens irregularitatem, tamen Ecclesiam inde sumpsisse occasionem instituendi illam. Vera tamen responsio est, Paulum ibi loqui de irregularitate bigamiæ; nam id significat Lucius III, in cap. 2 de Bigamis, dicens: *In bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri*; de quo loco, quatenus ad dispensationem attinet, quomodo intelligendus sit, infra dicemus. Quantum vero ad irregularitatem spectat, ita etiam intellexerunt Hieronymus, epist. 83 ad Oceanum, quæ tota est de hac re; et Augustinus, lib. de Bono

conjugali, cap. 18; Ambrosius, lib. 3, epist. 25, et in Paulum, ubi etiam Anselmus, D. Th. et alii, quos refert Bellarminus, lib. 4 de Cleric., c. 23, ubi doctissime contra hæreticos hanc expositionem confirmat. Præsertim ex aliis verbis ejusdem Epistolæ, c. 5: *Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor*, quod non potest intelligi simul; nam hoc nunquam fuit consuetum; ergo intelligitur successive; id est, non bigama. Quam ponderationem insinuavit Tertullianus, lib. 4 ad Uxorem, c. 6, et lib. de Monogam., cap. 11. Atque hanc expositionem prætulit Chrysostomus supra, et clarius Hom. 2, et ad Titum, ubi Theophylactus priorem emendare videtur. Denique etiam ex Ecclesiæ traditione, et Apostolorum canonibus constat, Paulum in eo sensu locutum. Nam in canone 16 Apostolorum dicitur, qui secundis nuptiis fuerit copulatus, non posse ad clericatum admitti; et canone 17, idem dicitur de illo, qui viduæ in matrimonio copulatur. Concedo igitur, aliquam irregularitatem a temporibus Apostolorum in Ecclesia reperiri; nego tamen inde sequi, esse a jure divino, aut a Christo institutam; multa enim sunt ab Apostolis ordinata, quæ de jure divino non sunt; propter quod aiebat Paulus, 1 ad Cor. 7: *Ego dico, non Dominus, et c. 10: Cætera autem, cum venero, disponam*. Et ex canonibus Apostolorum constat, illa fuisse præcepta humana, non divina.

6. *Satisfit locis Veteris Testamenti.* — *Respondetur rationi.* — Ad loca Veteris Testamenti respondetur, ex illis solum probari similitudinem quamdam congruentiæ, ut dictum est. Nam in facto David constat, non ideo repulsum fuisse a Deo a templi ædificatione, quia per se malum esset, aut lege aliqua prohibitum, hominem bellatorem, et qui sanguinem effuderat, templum ædificare. Solum ergo voluit Deus illo exemplo ostendere, quam sit amicus pacis, quantumque aversetur homicidas. Item ut significaret effusionem sanguinis non decere in templo suo, neque in ministris suis. Adde, in Veteri Testamento non fuisse irregularitatem in ministris illius templi ob sanguinis effusionem, ut notavit D. Thom., in 4, d. 25, quæst. 2, art. 2, q. 3, ad 4; multo ergo minus potuit ab illo Testamento dimanare ad sacerdotes Novi Testamenti. Ad rationem, quæ maxime procedit de jure naturali, fatemur, aliqua impedimenta esse ex ipsa rei natura; dicimus tamen non habere rationem irregularitatis, nisi interveniat Ecclesiastica institutio, ac prohibitio.